

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Liber V.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

versus Seiani crudelitatem, infantis causam defendent suffragiis omnibus. Fac, quod facere te iurisiurandi religio iubet. Fac, quod facere iam, salua fide, potes. Et erit, quod mihi tuoque iudicio gratulari queam. Longius profecto, quam constitueram, progredior, et pluribus a te contendo precibus, quam tua patitur virtus, atque ipsius causae iustitia. Sed animi, propter iniurias, nimiae hoc dabis aegritudini: ut semet vix continere solent illi, quorum conscia mens recti nunquam videtur pallefcere culpa; et malorum multis tamen afficitur: ut maxima sit innocentiae contumacia, contra insolentem hominum audaciam. Quinam sint illi tam nefarii homines, scire si velis: moliminibus suis mox semet ipsos prodere senties: et fatis manifesta erunt suo tempore illorum scelera. Ego vero valde iuuenis ex Ennii Telepho didici, vulgo quod dici solet: *palam mutire, plebeio piaculum est.* Ne hiscere quidem inopi aduersus potentem licet. Ac huius sententiae immemor haud ero, quoad sanae mentis mihi constabit usus.

LIBER V.

Prologus ad Particulonem.

Quum destinassem operis habere terminum
 In hoc, ut aliis esset materiae fatis:
 Consilium tacito corde damnavi meum.
 Nam, si quis talis etiam est tituli *artifex*,
 Quo pacto diuinabit, quidnam omiserim,
 Vt

Ut illud ipsum cupiat famae tradere:
 Sua cuique quum sit animi cogitatio,
 Colorque proprius? Ergo non leuitas mihi,
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.
 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
 Quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
 Quasi paucas ostenderit; ego plures dissero,
 Vius vetusto genere, sed rebus nouis.
 Quarum libellum dum tu vaciuus perleges:
 Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.
 Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
 Vestras in chartas verba transfertis mea,
 Dignumque longa iudicatis memoria.
 Illiteratum plausum non desidero. 20

Sufficit cuique sua ad laudem dicendi materia.

Cum ego hic operis finem facere decreuerim, quod libro dictum est quarto extremo: ut aliis, idem fortasse molientibus mecum, materiae superfit, quantum satis: memet breui post consilii poenituit, ac ipse malui superioribus alias addere fabulas. Nam si quis omnino mihi similis poeta animum induxerit, ad comparandam immortalem nominis famam, eodem instituto uti: prorsus tamen scire non poterit, quae silentio a me sint praetermissae, ut illis exornandis ingenium exerceret suum. Non idem sentiunt omnes. Sunt, pro desideris, et sententiarum diuersitate, sua cuique pulchra. Nec artificis laboris poterit incognitus esse modus, aut deficere prima et rudior

H 5

illa

illa quidem argumenti adumbratio. Noli ergo leuitatis arguere, quem certa ratio mouit, vt animum appelleret ad scribendum denuo. Tu mihi, illustris Particulo, certe fauebis: quem sentio meis praesertim delectari fabellis. Equidem Aesopias malo istas, quam Aesopi, vocare; ab illo neque inuentas, neque concinnatas, verum ad imitationem formamque; exaratas magistri, qui, vt multis viam atque similia effingendi rationem praemonstraret, exempla primum nobis pauca tradere voluit. Ego vero pluribus lectores monere institui, peruetusta quidem illa sapientum consuetudine, sed methodo formaque noua: vt, quae vsu quotidie veniunt, in apricum suauis et iucunda fictione proferrem. Fabularum tu, rebus aliquando grauioribus liber, liberali otio, volumen legere poteris. Si quis maleuolo animo, vt late patet inuidiae crimen, hunc laborem meum calumnia et obtreccionibus exacerbare velit: illum quod imitari nequeat: assidue et nauiter illi per me quidem calumniari et obtreccare liceat. Mihi sufficit, laudari abs te, tuique simillimis, laudatis viris, qui sapientes et boni de his literis recte iudicare potestis, meosque libellos, vt aetatem ferant, in bibliothecas vestras, cum melioribus monumentis, transferre non dedignamini. Vulgus, quos approbant, digitis monstrant alios: ego rudis plebeculae commendationem ne tanti quidem facio.

Idem

Idem Poeta.
 Aesopi nomen sicubi interposuero,
 Cui reddidi iam pridem, quicquid debui,
 Auctoritatis esse scito gratia:
 Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
 Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
 Si marmori adscripserunt Praxitelem suo
 Detrito, Myronem argento. Fabulae id audeant
 Adeo fucatae. Plus vetustis nam fauet
 Inuidia mordax, quam bonis praesentibus.
 Sed iam ad fabellam talis exempli feror. IO

Minuit praesentia famam.

Sicubi fabulas Aesopi nomine venditauero
 meas: cui, ne plagium aliquod literarium
 committerem, ego pridem ab se inuentas tri-
 bui, superioribus libellis ornatus expositas:
 auctoritatis gratia illud factum scito. Nam et
 nostra aetate quidam non infimi nominis arti-
 fices callide marmoribus recens ab se factis,
 fictisque vetustiorum exemplo, Praxitelem,
 aut argento Myronem adscribere solent: quo
 carius sua opera veneant, hominibusque solum
 venerando antiquitatis studio captis arriderent
 magis. Idem ergo nostrae adeo fucatae fabu-
 lae, ad lectoris captandam beneuolentiam,
 imitari conantur. Homines enim, vel propter
 inuidiam, quae solet perfibilare et infringere
 omnia, deterioribus vetustis, quam bonis prae-
 sentibus, magis fauent. Quae recens fiunt
 etiam optimo instituto, nisi ambitiosum prae
 se ferant antiquitatis nomen, tanquam vul-
 garia

garia et quotidiana, vilescunt ac reiiciuntur.
Ast citato gradu iam ad eiusmodi fabulam
progrediendum.

FAB. I.

Demetrius Rex, et Menander Poeta.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupauit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt:
Feliciter subclamant. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum, s
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, reptant vltimi.
In queis Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 20
Et admiratus fuerat ingenium viri;
Vnguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinoedus ille? in conspectu meo 25
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim

* * * *

Artis etiam miseri nobilitantur fama.

Cum Demetrius rex, qui Phalereus cogno-
minatur, Athenas opprimeret tyrannide, et
omnia sub potestatem suam redigeret: vt vul-
go solent, passim omnes vndique affluunt ita,
vt ciuium quisque primus ad nouum regem
suum accederet. Fausta et felicia gratulantes
precantur omnia. Ipsi etiam ciuitatis princi-
pes, vtut publicam sentirent forti victoris
manu

manu oppressam esse libertatem, auide istam,
 velut clementiae testem, sibi porrectam exo-
 sculantur, simulata humilitate ac deuotione:
 cum tristem clanculum deplorarent reip. sta-
 tum ac immutatam senatus et iudiciorum ra-
 tionem aequo animo ferre non possent. Tan-
 dem et illi, sed lento gradu, veniebant, qui
 literario suo magis delectantur secessu, et pro-
 cul a negotiis plurimum solent bonarum ar-
 tium vacare studiis. Nolebant illi quidem,
 vt vulgus, ruere: accedebant tamen oportu-
 no tempore gratulantes: ne, non comparuisse,
 sibi aliquando noceret. In his Menander quo-
 que erat, comicus poeta nobilissimus, cuius
 fabulas ipse Demetrius saepe cum voluptate
 legerat, viri, de facie sibi prorsus ignoti, di-
 uinum admiratus ingenium et artem. Ince-
 debat vero molli et quasi numerato gradu, ca-
 pite ornatus, et voluptatis gratia largiter vn-
 ctus, ac nitide, vt diuites solent, indutus la-
 xiore vestitu. Cum rex illum extra populi,
 praepropere ruentis, turbam conspexisset: quis-
 nam, interrogat, pantomimus et saltator iste,
 qui regem in concione ciuium adire non ve-
 retur? Qui proxime stabant, hic est, inqui-
 unt, Menander, comicus ille celeberrimus,
 quem doctissimi quique suspiciunt, et in oculis
 ferunt. Sententiam rex in continenti muta-
 vit. (* Reliqua desiderantur: fortasse in hunc sensum
 restituenda) Vt plurimum enim viri do-
 ctrina et eruditione illustres magni ab re-
 gibus habentur, multisque cumulantur bene-
 ficiis:

ficiis : vt ne calumniatores quidem eorum
ferre , nedum ipsi adeo bene de rep. merito-
rum officia despiciere queant : etiam si speciem
minime gratam prae se ferre videant. Literas
ergo, qui possunt, amplectantur : neque studio-
sa iuuentus semet totam liberalioribus Musis,
de meliori nota omnibus vbique commenda-
tis, mancipare dubitet.

FAB. II.

Viatores et Latro.

* * * *

Et vindicauit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein, reiecta penula,
Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat,
Quos attentarit. Tunc qui depugnauerat :
Vellem istis verbis saltem adiuuisses modo,
Constantior fuisset, vera existimans.
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem:
Vt possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quod virtuti non sit credendum tuae.
Illi assignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

Sine strepitu et magno clamore, praesta te virum.

(* Et huius fabulae initium perit : quod huiusmodi fuisse
videtur)

Iter duo faciunt vna, eodemque tramite
res sibi vtrisque pollicentur aduersus infidias
fore

fore communes, et mutuū auxiliū. Pro-
gredientibus silua interiori obuenit latro, ac,
nisi cum obulis res suas traderent, miseram
minatur necem. Alter forti animo resistens
vim vi repellere studet. Sibi contra timens
alter, vt vitae ac fortunis consuleret, celeri
cursu fugit. Manum conferens vincit latro-
nem, victum occidit, ac semet ab illius iniu-
ria et intentata crudelitate vindicauit. Hoste
iam tum prostrato, victoris timidus reuertitur
comes, gladium iactat vagina vacuum, penu-
lam, quam vestem supra tunicam viatores pro-
pter imbrem aut frigus fumebant, pugnando
ne brachia impedirentur, vultu motuque a-
troci in tergum reuicit, ac mihi, clamat, huc
hominem cedo; et sentiet, quos lacefferit.
Ille vero, qui trucidando latrone finierat pu-
gnam, vellem, respondet, mihi saltem istis
minacibus verbis auxilio fuisses; quae pro
certis habenti, tuamque audienti praesentiam,
animum addidissent mihi, vt maiori fiducia
decertarim. Condere iam melius constitues
gladium simul atque linguam mendacem:
quoad alios, qui te non norunt, fallere possis.
Tuam equidem satis sum expertus virtutem;
quamque strenuus ac fortis in pugnando sis,
ipse vidi. Gloriam frustra iactas verbis, tuam-
que fortitudinem, cui probe scio quam non
sit habenda fides. Narratio haec illos designat,
qui suam, vbi nullum periculum, animi prae-
dicant magnitudinem et ferociam: vbi vero
iam conferenda sunt signa, dubii et ignaui
haerent.

FAB.

FAB. III.

Caluus et Musca.

Calui momordit musca nudatum caput:
 Quam opprimere captans, alapam sibi duxit
 grauem.

Tunc illa irridens: punctum volucris paruulae
 Voluisti morte vlcisci: quid facies tibi,
 Iniuriae qui addideris contumeliam?

Respondit: mecum facile redeo in gratiam:
 Quia non fuisse mentem laedendi scio.
 Sed te, contemti generis animal improbum,
 Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
 Optem necare, vel maiore incommodo.

Hoc argumentum veniam mage dari docet,
 Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens.
 Illum esse quauis poena dignum, iudico.

*Peccatum longe grauius, quod studio et consilio,
 quam quod casu committitur ab imprudentibus.*

Hominis cuiusdam calui musca pupugit
 nudatum caput. Quam adeo sibi inuisam cum
 repente sua manu conquassare vellet: grauem
 sibi ipse colaphum praeter opinionem in-
 flexit, aberrante dextra. Incolumis vero dis-
 cedens musca vanos irridet vindicis conatus,
 et tu, inquit, tam violenta caede voluisti vl-
 cisci leuissimum bestiolae tactum: in te
 quantum tu statueris supplicium, qui maxi-
 ma cum iniuria, qua temet affecisti, contu-
 meliam coniungere non veritus es? Equidem,
 respondet, si quid peccatum, facile ignosco
 mihi: et animum mihi nocendi nunquam
 fuisse,

fuisse, fatis certe scio. Te vero, insectarum quae abiectissima, et quod vix abigi possis priusquam impudenter humano explearis sanguine, omnibus omnium maxime molesta, maiori etiam meo incommodo enecare voluisssem. Haec fabula demonstrat, veniam illi magis esse paratam, qui casu et imprudens peccat, quam illi, qui studio et ambitione quadam quasi nocere, suaque scelera cumulare non veretur. Cuius adeo perpetua peccandi voluntas: in illum poenam grauiorem esse constitutam, nemo dubitabit.

F A B. IV.

Homo et Asinus.

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculi pro salute votum debebat sua, (culi, Asello iussit reliquias poni hordei.

Quas aspernatus ille, sic locutus est:

Tuum libenter prorsus appeterem cibum, 5
Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.

Huius respectu fabulae deterritus,
Periculosum semper vitavi lucrum.

Sed dicis, qui rapuere diuitias, habent.

Numeremus, agedum, qui deprensi perierint:
Maiorem turbam punitorum reperies.

Paucis temeritas est bono, multis malo.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cum aliquis Herculi, Iouis sancto filio, cui pro felici rerum euentu vota nuncupauerat, suamque acceptam referebat salutem, iam diu probe saginatum immolasset verrem:
I quod

quod reliquum erat hordei, gratum asino cibum apponi iussit. Ille vero domini tantam aspernatus gratiam, hordeum degustare noluit, ac recenti verris, inquit, sum deterritus malo. Illa, quamuis desideratissima, iam mihi minime omnium placet esca: qua qui liberalius fuit enutritus, eum nuper iugulatum fuisse noui. Huius fabulae argumento deterritus ego diuitias nolui magno mihi parare lucro, quod maximo cum periculo solet esse coniunctum, quoad omnia maleuolorum infidiis lacerata concidant. Fabulae! inquires, num etiam te fugiunt, quae satis aperta, facilius iam parta tueri atque gaudere possidentes? Audaces, fateor, aliquando fortuna iuuat. Eorum vero nouimus partem esse longe maximam, qui sua semet opera in calamitates praecipitarunt: dum quas oculere quouis modo studuere, minime tamen gentium euitare potuerunt, quin vel propter rapinam facti sint rei, et capitis saepe inierint periculum. Paucis lucri studium profuit: multos vero spes vana fefellit; aut opibus graues sibi sensim sine sensu exitium parauere.

FAB. V.

Scurra et Rusticus.

Prauo fauore labi mortales solent,
 Et pro iudicio dum stant erroris sui,
 Ad poenitendum rebus manifestis agi.
 Facturus ludos quidam diues nobilis,
 Proposito cunctos inuitauit praemio,
 Quam

Quam quisque posset, vt nouitatem ostenderet.
 Venere artifices laudis ad certamina.
 Quos inter scurra, notus urbano sale,
 Habere dixit se genus spectaculi,
 Quod in theatro nunquam prolatum foret. 10
 Dispersus rumor ciuitatem concitat:
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
 In scena vero postquam solus confutit,
 Sine apparatu, nullis adiutoribus,
 Silentium ipsa fecit expectatio. 15
 Ille in finum repente demisit caput,
 Et sic porcelli vocem est imitatus sua;
 Verum vt subesse pallio contenderent,
 Et excuti iuberent. Quo facto, simul
 Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule
 Me vincet, inquit: et statim professus est
 Idem facturum melius se postridie.
 Fit turba maior: iam fauor mentes tenet, 25
 Et derisuri, non spectaturi sedent.
 Vterque prodit; scurra digrunnit prior,
 Mouetque plausus, et clamores suscitatur.
 Tunc simulans sese vestimentis rusticus
 Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet, 30
 Sed, in priore quia nil compererant, latens,
 Peruellit aurem vero, quem celauerat,
 Et cum dolore vocem naturae exprimit.
 Acclamat populus, scurram multo similius
 Imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35
 At ille profert ipsum porcellum e sinu,

Turpemque aperto pignore errorem probans;
En, hic declarat, quales fitis iudices.

Minime sincerum ex favore iudicium populi.

Si cui mortales immerito fauent, in errores vel sua sponte magis atque magis quotidie prolabantur, neque ad sensus saniores prius redeunt, quam forte fortuna etiam inuiti et obtorto quasi collo in rem praesentem deducuntur. Ex viris principibus quidam munera dabat populo ac ludos publice: quibus ad certamina vocabantur omnes, qui exercitatione quadam excellere, aut rebus recens inuentis maximum concionis mereri applausum, atque praemiis ornari velint. Sic ergo vndiquaque oppido multi conuolarunt ad ludos artifices, quorum sua quisque iactitabat opera, et cupidus laudis quouis modo laureolam alius praeripere conabatur. In his scurra quidam, propter iocos vrbanos, comitatem et elegantiam, haud ignobilis, spectatoribus fidenter offerebat, quod nusquam in theatris obuenerit cuiquam gerendum. Rei nouitate pellekti, quotquot in ciuitate erant, tam frequentes conueniebant, vt loca non sufficerent, quae vacua paulo ante, munerum quasi oblectatio nulla, relinquebantur. In scena postquam artifex ipse comparuit solus, sine vlllo apparatu, vel administro, commune omnium suboriebatur silentium, quod vulgo in ludis scenicis ambiciosius exorare solent prologi; hic summa notitatis expectatio a semetipso facilius obtinuit.

nuit. Scurra caput repente suum demittens in finum, accuratissima imitatione vocem porcelli edidit, adeo quidem, ut essent, qui animal istud sub pallio latere arbitrarentur, eumque excutere in praesenti totum coram omnibus, ad suspicionem tollendam, iuberent. Quo facto, cum fraudem subesse prorsus nullam viderent, vniuersus scurram populus summis laudibus efferebat, ac nouum, quod adeo probauerit in publico, hominis artificium incomparabili applausu prosequabatur. Quod cum rusticus quidam videret: Non is profecto me, dixit, ea porcelli imitatione, artisque professione sua vincere poterit: ac fore promisit, ut postridie totam scurrae actionem longe superaret. Maximus est iterum, fieri ut solet, hominum confluxus. Sed scurrae admiratio et praeoccupata opinio ita omnium fascinosos iam tum tenebat animos; ut libere iudicandi facultas nulla superesset. Damnabant, quod spectare nondum poterant: ut risum magis, quam visum, conuenisse viderentur haudquaquam aequi iudices. Prodit tandem de gloria certans cum scurra rusticus. Ille primum, ut porci solent, grunnit, ac de nouo cum fauore meretur applausum populi, adeo quidem ut laudes artificis insigni clamore testentur. Hic porcellum vestibus obtegit: quod spectatores, qui latitans apud scurram repererant nihil, et hunc fingere sibi persuadebant erroris incauti. Sed minime ficto, quod celatum prae se ferebat, porcello suo,

I 3

cum

cum opus esset, perfricuit aures, vt eadem illa sui capitis in sinum demissione grunnitum ederet, vocemque sibi propriam, acerbiori doloris sensu. Istud cum spectatores audirent: Ohe, clamitant, quam vero similis scurra vocem potuerit exprimere porci: et rusticum ignominia conuiciisque oneratum propellunt. Is vero ipsum e sinu porcellum educit, eoque argumento satis luculento demonstrat, quam lubentes ex affectibus prauis et praeoccupata opinione suis erroribus indulgeant: et ipse hic porcellus, inquit, omnium facillime docet, quales vos iudices fitis.

Ad Particulonem digressio.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
 Et copiosa abundat rerum varietas.
 Sed temperatae suaues sunt argutiae;
 Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
 Particulo, chartis nomen victurum meis,
 Latinis dum manebit pretium literis,
 Si non ingenium, certe breuitatem approba,
 Quae commendari tanto debet iustius,
 Quanto Poetae sunt molesti validius.

Ne quid nimis.

Restant plurima, quae versibus illustriora iam enarrare possem: est enim rerum varietas, copia, et abundantia in hoc genere longe maxima. Argutiae vero semet breuitate commendant. Omne nimium vertitur in vitium. Quae cum ita sint, Particulo venerationis summo cultu prosequende, perennis et gloriosa
 erit

erit tui nominis fama etiam in libellis nostris, per omnia secula, quibus Latina lingua et optimarum artium studia floreant, et magni sunt aestimanda in orbe. Si ingenium, quod sentio quam sit exiguum, minus probaueris meum: ego certe tamen breuitate placebo: quae tanto magis praedicanda semper erit: quo crebrius exosi vulgo poetae etiam illi meliores despicatui habentur.

FAB. VI.

Duo Calui

Inuenit caluus forte in triuio pectinem.
 Accessit alter, aequae defectus pilis:
 Eia, inquit, in commune, quodcunque est lucri.
 Ostendit ille praedam, et adiecit simul:
 Superum voluntas fauit, sed fato inuido:
 Carbonem, ut aiunt, pro thesauro inuenimus.
 Quem spes delusit, huic querela conuenit.

*Res nobis aliquando caeca imperitur fortuna:
 quarum non conceditur usus.*

Caluus quidam in triuio pectinem reperit: quod cum alius aequae caluus videret, rei quicquam ratus pretiosae inuentum, inclamando partem sibi vindicat, accurrit, ac oportune, inquit, aduenisti, ego vero in commune. Fac ergo diuidas quodcunque suppetit lucri. At ille res quanti sit ostendit inuenta, casu quidem, inquiens, haec nobis obuenit, sed frustra. Benigni fatis et fauentes Dii: fatum contra, quod offerunt, beneficium interuertit

adeo, vt non tam vfui fit nobis, quam, si quis animaduertat, cedere possit aliquando in vtriusque contemptum. Vides ergo carbonem nos, vulgo quod dici solet, pro thesauro inuenisse. Si quem spes fefellit, aut re minus commoda ornauit: ad eum maxime haec fabula pertinet.

FAB. VII.

Princeps Tibicen.

Vbi vanus animus, aura captus friuola,
 Arripuit insolentem sibi fiduciam,
 Facile ad derisum stulta leuitas ducitur.
 Princeps tibicen notior paulo fuit,
 Operam Bathyllo solitus in scena dare. 5
 Is forte ludis (non satis memini quibus)
 Dum pegma rapitur, concidit casu graui
 Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
 Duas quum dextras maluisset perdere.
 Inter manus sublatu, et multum gemens, 10
 Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
 Ad sanitatem dum venit curatio.
 Vt spectatorum mos est, et lepidum genus,
 Desiderari coepit, cuius flatibus
 Solebat excitari saltantis vigor. 15
 Erat facturus ludos quidam nobilis,
 Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
 Adducit pretio, precibus, vt tantummodo
 Ipso ludorum ostenderet sese die.
 Qui, simul aduenit rumor de tibicine, 20
 Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
 Quidam in conspectum proditurum sine mora.
 Au-

Aulæo misso, deuolutis tonitribus,
 Dii sunt locuti more translatio.
 Chorus reducto tunc, et notum canticum 25
 Imposuit, cuius haec fuit sententia :
 Laetare, incolumis Roma, saluo Principe.
 In plausus consurrectum est. Iactat basia
 Tibicen : gratulari fautores putat.
 Equester ordo stultum errorem intelligit, 20
 Magnoque risu canticum repeti iubet.
 Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
 Totum prosternit : plaudit illudens eques :
 Rogare populus hunc coronam existimat.
 Vt vero cuneis notuit res omnibus, 35
 Princeps, ligato crure niuea fascia,
 Niueisque tunicis, niueis etiam calceis,
 Superbiens honore diuinæ domus,
 Ab vniuersis capite est protrusus foras.

Nimio falluntur homines saepe amore sui.

Si quem, fastu atque superbia tumentem,
 coecus amplectitur ciuium fauor : infaniens
 vsque ille nititur fiducia sui ; tantoque faci-
 lius semet deridendum propinat sanioribus,
 atque vanitate stultitiaque sua ad maximum
 opprobrium ruit. Tibicen aliquis, cogno-
 mine Princeps, quod Bathyllo, celebri panto-
 mimo, in ludis scenicis consuevit dare operam,
 illoque saltante, vt plurimum inflare tibias,
 omnibus coeperat in publico esse notus atque
 familiaris. Tandem aliquando ludis, nescio
 quibus, ex ligno apprime facta, per se surgens
 atque sensim crescens in sublimem, tabulata cor-
 ruit

ruit machina, et tibicen graui casu fregit subito sinistri cruris tibiam: vt miser ille maluisset tibiam perdere vtramque dextram, qua inflata modos coeperat facere saltanti Bathyllo. Cum gemitus planctusque ederet multos, inter manus e scena deportatur domum. Aliquot mensium spatio diligens chirurgorum curatio hoc egit, vt quod fractum coiret ac pristinae quodammodo restitueretur sanitati. Interea temporis, vulgo vt fieri solet, in theatro, cum alia spectatoribus darentur munera, tibicinis grata desiderabatur opera, vt animos demulceret cantibus, et ipse pantomimus ad saltandum acrius excitaretur. Rursum nobilis quidam ludos factururus, Principem tibicinem, qui pedibus tum consistere paulisper atque incedere coeperat, multis precibus ac precio maiori commouit, vt ipso ludorum die solemni tantum veniret in conspectum populi, qui praesentiam artemque eius valde iam exspectare videretur. Quamprimum aduenisset, de praesentia tibicinis inter omnes spectatores percrepuit rumor: quorum alii eum periisse credebant; alii, eum statim in conspectum esse proditurum, quouis pretio contendebant. Vestium picti tolluntur ornatus, quibus scena obtendebatur, explicandi, dum fabula agitur, ad contegendam personarum commutationem. Tonitrua audiuntur, quae motuum coelestium accuratissima imitatione proferebant: ac veteri consuetudine mira proloqui fingeant Deos. Princeps tibicen, qui
lecto

lecto detentus adhuc valetudine infirma, re-
ducitur in scenam, et chorus, in laudem Cae-
saris, carmen coepit cantare nouum, cuius ar-
gumentum erat, vt exultaret laeta et *incolu-
mis Roma, saluo principe*. In plausu, honoris
gratia, quem Principi, vt rerum potiebatur,
credebant significandum esse, vna omnes fur-
rexerunt. Tibicen ratus, tot sibi ex spectato-
ribus restitutam valetudinem gratulari fauto-
res; manu ori admota, gratias quasi agen-
dum, spargit basia ad eos, quos, nimio sui ca-
ptus amore, tantum tanta pietatis significatio-
ne prosequi, atque adeo plaudere viderat. Ti-
bicinis, fastu insanientis, qui, quod Caesari fa-
ctum, sibi arrogare non verebatur, errorem
stultum equestris statim intelligit ordo: et e-
rant, qui magno risu canticum repeti volebant.
Distinctis ergo vocibus, omnique collecta sua-
vitate, rursus canere audiuntur istud: *laeta-
re, incolumis Roma, saluo Principe*. Miser ho-
muncio, totus voluptate affectus, quod tantum
sibi in publico arbitrabatur honoris tribui, in
proscenio, qui locus inferior scena, altior ve-
ro paulum orchestra, semet prosternit, ac omni
venerationis cultu agit gratias. Iterum iterum-
que plausus repetunt ordinis equestris stultum
irridentes plurimi. Longius qui aberant ab
orchestra de plebe sibi persuadebant, homi-
nem sibi postulare coronam, quod musico cer-
tamine vicerit alios in scena. Posteaquam
vero tibicinis error omnibus theatri sedibus
percrepuit: illi, adeo superbienti, regium im-
posuere

posuere ornatum, crura fasciis ligarunt niueis, candidam induerunt tunicam, eiusdemque coloris addiderunt calceos: vt splendida domus Augustae ac principum Romanorum insignia prae se ferret. Qua quidem specie cum sibi admodum placeret, ab omnibus illusus ac satis ignominiose habitus, foras tandem non sine impetu eiicitur.

FAB. VIII.

Occasio depicta.

Cursum volucris, pendens in nouacula,
 Caluus, comosa fronte, nudo corpore,
 Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
 Non ipse possit Iupiter reprehendere;
 Occasionem rerum significat breuem.

Effectus impediret ne segnis mora,
 Finxere antiqui talem effigiem temporis.

Prompte faciendum, vt tempus fert atque occasio.

Properat virgo cursu veloci pedibusque alatis; velut nouacula temporis momentum dimetiens acutissimum, subito secum omnia rapit; fronte capillata est, vt obuientem, qui velit, subito arripere possit: capitis parte posteriori calua, ne quis tardiori gradu praeteriens posthaec fugientem retinere queat. Vestibus non tecta, quibus fucum vulgo facere solent, fictamque prae se ferre speciem; at candida et ingenua toto corpore nudam veritatem ostendit. Virginem si quando cursu vides properare obuiam tibi: auide arripiendam, tuumque vertendam in usum, dimittere noli. Si dimiseris, ne Iupiter istam quidem tibi re-

cu-

cuperare potest. Eaque figura, scito, perbre-
vem, ad res capeffendas, depingi occasionem
tibi. Et veteres hanc temporis effinxerunt ima-
ginem: vt vecordiam inertiamque tibi patia-
ris nunquam vel tantillum eripere temporis;
aut defraudare temet irreparabili bono.

F A B. IX.

Taurus et Vitulus.

Angusto in aditu Taurus, luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia:
Monstrabat vitulus, quo se pacto flecteret.
Tace, inquit, ante hoc noui, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet. §

Qui plus iusto non sapit, ille sapit.

Cum taurus introitu angustiori cornibus im-
pediretur, vt praesepia vix posset repetere,
quibus domi consueuerat pasci liberalius: ac-
currens voluit illum docere vitulus, in quam
partem semet curuare, suumque caput ac re-
liqua corporis membra inclinare deberet, ad
pabulum intrare si vellet, iumentis paratum.
At ille, frustra, inquit, mones, paruule: hoc
enim fatis cognitum fuit mihi, ante quam esses
natus: quem minime decet seniorum consiliis
rebusque difficilioribus temet immiscere subi-
to, aut respondere, nisi rogatum. Hoc iuue-
nibus scribitur sciolis ac rudibus, qui, praecoci ac
temeraria sapientia, doctos non verentur docere
senes.

F A B. X.

Venator et Canis.


Aduersus omnes fortis veloces feras

Canis

Canis quum domino semper fecisset satis,
 Languere coepit annis ingrauantibus.
 Aliquando obiectus hispidi pugnae suis,
 Arripuit aurem: sed cariosis dentibus
 Praedam dimisit. Hic tum venator dolens
 Canem obiurgabat. Cui senex contra latrans:
 Non te destituit animus, sed vires meae. (mus.
 Quod fuimus, laudas; iam damnas, quod non fu-
 Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides.

*Senectutis eadem nec opera, nec gratia, quae
 iuuentutis fuit.*

Cum venator diu canis sui velocitatem in feris quibusque
 insectandis corripiendisque, imo et fortitudinem in retinendis
 ac deiiciendis fuisset expertus: ingrauescente fidi adeo sui
 comitis tandem aetate, languere coepit, neque, vt ante consue-
 vit, in venationibus strenue officio perfungi. Exagitatus ali-
 quando illi obuinit setosus aper, quem subito quidem satis
 vehementer insectatur, et aure fortiter apprehendit insultans:
 at carie et vetustate consumptis non potuit retinere dentibus,
 quin reluctando maiori semet illi subtraheret impetu, et eua-
 deret saluus. Praedam adeo sibi opimam fuisse dimissam, ve-
 nator aequo non poterat ferre animo, quin maximam cetero
 exercitato cani negligentiam inertiamque subiratus verbis ver-
 beribusque valde exprobraret. Oblatrans vero canis, vae mi-
 hi! respondet, bene functis adhuc officiis et senectute consum-
 tum tot tantisque conuiciis atque plagis immerito affici: non
 tibi, Domine, animus defuit meus operam offerendi laudabi-
 lem et quaeuis commoda: sed vires non sine maximo dolore
 meo te simul atque memetipsum deficiunt, et pristinus amo-
 rum vigor, quo magis, vt saepius ipse expertus es, ad omnia
 poteram esse utilis. Tristis eadem esse non potest senectus,
 quae laeta iuuentus. Laudas, quod frugi fuerimus olim atque
 diligentes: et vituperas nos, quod perennis ac perpetua non
 possit esse opera nostra. Facile tibi, Philete, persuadere pot-
 es, cur lepida haec scripta sit fabula.



AP-